

DISPUTATIO IVRIDICA IN AVGVRALIS
DE
CAVSIS
IVRAMENTVM
SVPPLEROTORIVM
RESPVENTIBVS,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO
PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORVSSIAE MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, ET DVCATVS MAGDEBURGICI GV-
BERNATORE, RELIQA,
IN ILLVSTRI FRIDERICIANA
PRAESIDE

DN. IO. SAMVELE STRYKIO, IC.
SEREN. VIDVAE SAXO-ISENACENS. CONSILIAR. AVLICO
PROF. IVR. PUBL. ET COLLEG. IVR. h. t. DECANO,
PRO LICENTIA,
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES CONSEQUENDI

In auditorio maiori

D. IV. IVN. A. R. S. M DCC X.

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS
Placida eruditorum disquisitioni
submittit

FRIDERICVS ARNOLDVS BECK,
Lipstад. Westphalus.

HALÆ-MAGDEBURGICÆ, TYPIS IOH. MONTAGII, ACAD. TYPOGR.



DESPALATIO IURIDICA INVAGARIA
DE
CASIS
IARAMINTA
SAPPLETORIUM
REBAPTIBAS
SERENISSIMO PRINCIPIB AC DOMINO
TERRITORIE MAGNIFICENTISSIMO
DOMINO
PHILIPPO AURELIUS
PRINCIPALE BORASSAE ARCHIONE BRAN
DENARICO ET DUCATICO DEBAROICI CA
BERNARDI TUDERICIVAN
INFLAVASTRI TUDERICIVAN
PRÆSIDE
DNI. ZAVARE STRYIO. IC
SERIN. ADIAS SAXO-SENGENS CONSILII ATAGO
PROL. IAR. MUL. ET COTTE, IAR. M. E DECANO,
PRO L. FICENTIA
SAMMOSIN. TROYAE IAR. HONORE CONSEGUENDI
D. IA. IAN. R. MDCX
HEIRS INTE ET PONTIFICIENS
FRIEDERICAS VNOILDAS BECK
LUDWIG. WEGELPFER



I. N. I.
DISSERTATIO
DE
CAVSIS IVRAMENTVM SVP-
PLETORIVM RESPVENTIBVS.

§. I.



Elicata est admodum materia iuramentorum , & caute sobrie que tractanda in iudicio , vt duo extrema euitentur, periuria scilicet & frustranea iuramenta . Vtrumque curæ esse debet iudici , cum vtroque modo grauiter pecari poscit . Nec enim periuriis tantum grauissime læditur maiestas diuina, sed & superfluis iuramentis, quibus in vanum inuocatur , & ita profanatur diuinum nomen . Sunt enim iuramenta in iudiciis recepta tantum in subsidium , & si aliis veritatem inuestigandi modus non supersit ; hinc non aliter permittenda, quam summa id exigente necessitate, conf. hac de re pluribus Dn. Præses in *Diss. de officio iudicis circa perieraturum vel otiose iuraturum.*

Turamento
ruin marc-
ria caute tri-
stanta
etiam

A 2 §. II.

ANON

4 DISSERTATIO DE CAVSIS IVRAMENTVM

§. II.

Sappletoni-
um iura-
mentum
quid sit?

Quid purga-
torium?

Hoc sicut in omnibus iuramentis obseruare iudex tenetur, ita multo magis hoc ipsi faciendum in illis, quae ab ipso partibus deferuntur. Cuius duæ sunt species, suppletorium & purgatorium. *Suppletorium* locum habet, quando is, cui aliquid probandum a iudice iniungitur, id plene non probauerit, sed tantum semiplene, tum ipsi iuramentum a iudice defertur, ut ita quod deest probationi suæ suppleat, vnde & suppletorium vocatur. Cum enim reus hic non absolu posse, quia actor aliquid probauit, nec condemnari, ideo quod actor non plene probauit, aliquo remedio opus erat, ut ad causæ decisionem peruenire posset iudex. Et sic cum reus probationes actoris eneruare non posset, actor tamen semiplene probauerit, huic defert iuramentum, eiusque fidei rem commitit, idque ob defectum probationis melioris, ut tandem sit finis litium. *Purgatorium* vero defertur a iudice, si actor nec semiplene probauerit, habeat tamen pro se quasdam conjecturas & præsumptiones, contra reum militantes, tum huic iniungere solet, ut ab istiusmodi præsumptionibus & indiciis, quae ipsum grauant, iuramento se purget, vnde hoc iuramentū purgatoriū vocari solet. Vtrumque autem *necessarium* dicitur, quia a iudice defertur, ac ita a partibus declinari non potest, sed necessario præstandū. Cum vero hic semiplenæ probationis mentio facta fuerit, sciendū, illam esse semiplenam probationē, si quis vnum testem, omni exceptione maiorem, pro se habeat, nam duo testes plenam faciunt probationem. Potest vero etiam semiplena probatio fieri per alias circumstantias, & conjecturas quandoque; adeo, ut illud perfecte definiri non

non posse, sed arbitrio prudentis iudicis relinquendum sit, interdum enim nec duo testes suspecti faciunt semiplenam probationem.

§. III.

Quod itaque in specie ad suppletorium iuramentum attinet, huc etiam spectat, quod in omnibus iuramentis verum esse supra diximus, caute scilicet & circumspice iudicem agere debere in hoc etiam iuramento deferendo. Idque eo magis hic obtinet, quo periculosius hoc iuramentum est, utpote, quo ipse actor vel reus, qui probare intentionem suam debebat, dum non probat, hoc ipso iuramento iudex quasi in propria causa constituitur. Quamuis enim hoc fiat etiam in iuramento iudiciali, seu a parte parti in iudicio delato, itemque certo modo in purgatorio, est tamen diuersitatis ratio manifesta, quod in delato pars sibi imputare debeat, quod alteri detulerit iuramentum, licet & hic iudicis officium exclusum non sit, ut demonstratum a Dn. Præf. in tr. de iuramentis. Melet, II. cap. II. hic vero iudex illud defert, propria autoritate. Deinde purgatorium magis pro defensione & liberatione est, cuius magnus in iure fauor. l. 47. ff. de O. & A. sed ex suppletorio alter condemnandus, inde hoc maioris est præiudicii.

§. IV.

Cum itaque tam frequentia sint iuramenta suppletoria in iudiciis, animus est, in præsenti dissertacione accuratius in hanc rem inquirere, ut constet, quomodo iudex hac in parte procedere debeat, & quibus in causibus iuramentum hoc suppletorium locum inuenire non posse. Evidem idem iam a multis actum esse, non ignoramus, ita Berlichius P. I. conclus. 54. varia ex-

Non indi-
finete defe-
rendum sup-
pletorium,

Scopus: tra-
stationis
huius.

6 DISSERTATIO DE CAVSIS IVRAMENTVM

ceptiones numero LXV. adducit quibus hoc iuramentum cessare existimat : addatur Seraph. de Seraphinis tract. de privilegiis iuramentorum. Priuleg. 33. n. 14. seqq. qui XXXIX. exceptiones refert: sed plerumque tam confusa hæc omnia tractant Dd. vt non possint non tedium lectori creare; sæpe etiam varias exceptiones pro cerebro suo fingunt, nullo iure & ratione fundatas. Videbimus itaque, an hæc omnia in iustum ordinem redigere, & hic etiam verum a falso separare nobis liceat; quod argumentum, cum vsum insignem in praxi praæfet, fauorem lectoris benevoli certissime nobis promittimus.

§. V.

Causæ, vbi deficit semi-plena probatio, huc non pertinent.

Miscent autem Doctores sæpe omnia, vt tantum numerum limitationum, restrictionum & exceptio-num augeant. Idem hic contigit, dum inter illos causas, quibus hoc iuramentum locum non habet, etiam eos referunt, vbi nondum semiplene probatum est. Sed hæc non est exceptio a regula. Hæc enim regula est: vbi probaturus semiplene probauit, ibi admittendus ad iuramentum suppletorium; iam autem exceptions huius regulæ sunt, vbi quis, etiamsi semiplene probauerit, non tamen admittitur ad suppletorium.

§. VI.

Exempla.

Sed ne aliquid hic Dd. affingere videamur, id demonstrabimus exemplis. Ita inter exceptiones referunt (1) si iuraturus pro se habeat solam famam (2) quando testes magis deponunt per iudicium intellectus & rationis, quam per sensum corporeum (3) quando unus testis deponit pro illo, qui protestatus est contra eum, (4) si testis non reddit rationem de dicto suo, sen-

su

SUPPLETORIVM RESPVENTIBVS.

7

su corporeo, vel non est omni exceptione maior (5.) si testis variat (6.) si testes sunt singulares (7.) si testis deponit in causa vniuersitatis, quia non est omni exceptione maior vid. Berlich. cit. loc. n. 50. 57. 63. 72. 85. 8687. 88. Verum in his casibus non adest semiplena probatio: nam (1.) si aliquis solam pro se famam habet, nondum idem probavit, quam si vnum testem omni exceptione maiorem pro se haberet, est enim fama deterior testis, qui haberi possit, vt loquitur Seraph. de Seraph. priul. 33. n. 41. vnde non video quomodo idem n. 34. statuere potuerit, etiam per famam semiplene probari; nec (2.) si testes non deponant de proprio sensu corporeo, nam ratiocinatio testium non sufficit ad probandum, (3.) quando vnum testis, contra quem alter protestatus est, pro eo deponit, hic semiplene probat & sic permittendum potius illi hoc iuram quam de-negandum. Porro nec (4.) testis semiplene probare potest, si non potest reddere rationem de sensu suo corporeo v.g. visu, est enim hic tantum testis de auditu, qui nunquam semiplene probat; quod etiam (5.) de teste variante (6.) de testibus singularibus, & (7.) de eo, qui non omni exceptione maior, manifesti juris est. Vnde simul corruunt omnes illæ exceptiones & limitationes, quæ a defectu personæ vel dicti testis desumuntur, quarum quam plurimas esse dicit Seraphin. de Seraph. de priul. 33. n. 196. Non ergo hi causas exceptiones regulæ referri possunt, sed hic ideo non admittitur suppletorium iuramentum, quia non semiplene probatum est.

§. VII.

8 DISSERTATIO DE CAVSIS IVRAMENTVM.

§. VII.

Ordo dicen-
dorum.

Vrita que ordine agatur, videbimus, annon omnes illi casus, quos Dd. magno numero adducunt, sed sine vlo selectu, & in maxima confusione, in iustum ordinem redigi & ad certa generalia capita reduci possint. Putamus autem illos ad has quatuor classes omnes referri posse. Quod scilicet hoc iuramentum suppletorium locum non inueniat, (I.) ob conditionem personæ iurantis (II.) in causis maximi momenti arduis, vel præjudicium alterius commodumq; concernentibus (III.) quando præsumtio est contra iurantem & semiplenam probationem & (IV.) ex speciali legis dispositione. Secundum hanc methodum nunc causas speciales adducam, ita tamen vt etiam ostendam, in quibus casibus Doctores sine fundamento sibi finxerunt exceptiones.

§. IIX.

Cessat iura-
mentum
supplet. I ex
persona iu-
rantis.

Ex qualitate & conditione personæ cessat hoc iuramentum, si is qui id præstare debet de periurio suspectus sit. Hoc enim summo studio cauere debet iudex, vt, quoad possibile est, nulla permittat periuria, cum hoc manifestam contineat profanationem diuini nominis id quod pluribus demonstrauit Dn. Præfes cit. diss. de officio indicij circa peccatum, vel otiosè iuraturum. Vnde etiam tales personæ, quæ de periurio suspectæ sunt, non admittuntur ad iuramentum suppletorium. Si ipsum queramus huius rei fundamentum, quoad hanc causam in specie hoc est, quod tum suppletorio locus sit, cum semiplena probatio adest, ita ergo in iurante requiritur, vt eius testimonium pariter vim semiplenæ probationis habeat, quam non habet testimonium eorum qui de periurio suspecti sunt, quos nunc ordine adducemus.

§. IX.

§. IX.

Scilicet ex eo fundamento non admittitur infamis, ^{Inde non ad-}
 vsurarius, iudaeus, aut alia viliis persona Berlich. *P. I. concl.* ^{mittitur}
 54. n. 67. Carpzonius *P. I. Conf. 23. def. 10.* rationem ad ^{infames vi-}
 ducit Setserus *de iuram. l. 4. c. 12. n. 24.* ne in eius manu
 potestas peierandi detur, quem propter ante commis-
 sam turpitudinem facile peieraturum credibile est. V-
 bi addit, hoc generaliter attendi debere in omni iura-
 mentorum præstatione, ut nemo admittatur nisi alias
 sit testis integer, & idoneus, & omni exceptione maior.
 Quæ res cum sua luce radiet, prolixiori probatione
 haud indiget, illud tantum hic adiiciendum esse existi-
 mo, quod iudei non absolute repelli possint ab hoc iu-
 ramento, sed illi tantum, qui turpe vitæ genus degunt,
 vt moribus suspeeti sint, ceu & in camera imperiali ad-
 missos esse iudeos, ipse testatur dissentiens Setserus
vit. l. n. 32. seqq. Quod si enim absolute & semper de per-
 iurio suspecti essent, nunquam ad iuramentum possent
 admitti, quod tamen in praxi tota die fit. Adeoque
 tales exceptiones contra iudeos ex odio potius,
 quam vero fundamento prouenisse existimo. Eodem per iurio
 numero habendi sunt, qui semel iam per iurium com-
 miserunt, quia ille de novo per iurio admodum suspe-
 citus, cum semel malus, semper in eodem genere de-
 dicti talis esse præsumatur Berlich. *c. l. n. 69. 70.* Qui &
 eore refert illum qui facilis est ad iurandum *n. 71.* Non e-
 nim potest non suspicio contra illum nasci, qui facilli-
 mus est in iurando præter necessitatem, dum eo ipso
 levitatem animi sui, & quod vim iuramenti non intelli-
 git, prodit.

§. X.

Solent etiam plerique eo referre spurios, ex falsa ^{an & spurii.}
 hypothesi, quasi & spurii essent infames, quorum plures

B

addu-

10 DISSERTATIO DE CAVSIS IVRAMENTVM

adducit Setserus *d.c. 12, n. 35.* qui tamen recte ab iis recedit, & bene distinguit, inter spurios, qui re & vita honesti sunt, qui nulla macula aspersi esse intelliguntur, ideoque tuto ipsi in supplementum iuramentum deferri posse, & inter illos, qui paterna vitia sectantur. arg. *L. 3. §. 2. ff. de Decur.* Eandem sententiam fouet Berlich, *cit. l. n. 68.* Menoch. *A.I. Q. 1. 2.c. 64.* Heig. *P.I. qv. 21. n. II. 12.* Müllerus *ad Stru. Ex. 17. th. 43. lit. E.* Dolendum enim est, quod in peruersa praxi spurii, qui innocentes sunt, pro infamibus, sine vlla ratione veliure habeantur, contra vero illos qui stupris & fornicationibus indulgent, & saepe multos iam procrearunt spurios, maxime si masculi sint, pro personis honestis, nec vlla macula laborantibus, habeantur.

§. XI.

(2) Si verita-
tē in nesciat.

Sed non tantum qui de perjurio suspecti sunt, repelluntur, sed illi etiam, qui ipsius rei veram non habent notitiam, nam & hic adest defectus in persona iurantis, cum de iis tantum fidem facere quis posit, quae sensibus percepit Berlich. *t.l.n. 76.* Seraphin. *n. 216. 217.* Setserus *cap. 12. n. 16.* Vnde & non admittendum est iuramentum credulitatis. Ex quo fundamento etiam decidenda quæstio, quando agitur de heredibus actoris, qui perfectam rei notitiam non habuerunt, an si semiplene probauerint, ad suppletorium admittendi? quæ vtique neganda, & potius a reo praestandum purgatorium. Quodsi tamen ab utraque parte heredes adsint, qui ipsam rei veritatem ignorant, tum locum suppletorio esse, ita ut de credulitate iurent existimo. Idem obtinet si neuter veram rei notitiam habeat Carpz. *P.I. Conf. 23. def. 8.* Quod vero Berlichius *n. 95.* existimet nec pipillus contra heredes tutoris, qui non fecit inuenta-

rium



SUPPLETORIVM RESPVENTIUS.

rium, agat, suppletorium locum habere, hoc assensum non meretur, cum heredibus tutoris obstet factum defuncti, quod inuentarium non confecerit, ad quod tamen de iure erat obstrictus, & sic præsumtio sit contra eos, atque adeo pupillus merito admittendus.

§. XII.

Sed & hic defectus personæ superest, qui impedit hoc iuramentum, quando auctor sufficienes habuit probaciones, ut plene probare potuerit, & hoc neglexit. Berlich. n. 66. Seraphin. n. 29. Müller. ad Struv. Exerc. XVII. th. XLII. lit. β. quo & illum casum referunt si quis culpa sua instrumenta amisit, laceravit, aut obfuscavit, de quo infra dicetur §. 31.

§. XIII.

Iam ad alteram classem pergimus, ad quam omnes causæ arduæ, quæ vel præiudicium alterius, vel commodum iurantis insigne concernunt, pertinent. Vbi omnino communis doctorum sententia solidissimo nititur fundamento. Cum enim adeo sit corrupta hominum natura, ut paucissimi sint, qui conscientiæ suæ rationem habeant, sed pro minimo sœpe lucro aut commodo ad iurandum se adduci quocunque modo patiuntur, inde in eiusmodi causis, non facile concedendum actori est iuramentum suppletorium.

§. XIV.

Huc pertinent in genere omnes causæ criminales Quo pertinet
Berlich. d. P. I. cont. 54. n. 2. Setserus de Iuram. I. 4. c. 14. n. 8. nent causæ
& 9. Cuius ratio est, quod in criminalibus, tanquam magni præ-
in re maxime ardua, vbi de vita vel fama hominis agi-
tur, luce meridiana clariores requirantur probationes
I. fin. C. de probat. Struu. Synt. Iur. Civ. Ex. XVII. th. 43. Quo
& commune illud assertum pertinet, quod tamen ipsa

II. in causis
arduis &
magni præ-
iudicij.

12 DISSERTATIO DE CAVSIS IVRAMENTVM

nitur veritate, tutius esse nocentem dirimtere quam innocentem punire. Vnde & in praxi vel absoluuntur reus hoc casu, vel ipsi iuramentum purgatorium deferuntur, vel in maximis criminibus torturæ subiicitur. An vero hoc in omnibus causis criminalibus locum habeat, non conueniunt Doctores. Vide hanc in rem Fanchiseum *controverſ. l. 1. c. 15.* Distinguendum itaque, an ex crimine agatur *criminaliter* ad poenam publicam, an vero *civiliter* ad interesse priuatum; hoc casu admitti potest iuramentum, nisi aliae concurrant circumstantiae id prohibentes, non illo casu videtur. *Setserus cit. l. nisi vbi poena pecuniaria est, & de probanda iunctio rei agitur.*
Faber in Cod. l. 4. tit. 1. def. 43.

§. XV.

Berlichius
refutator.

Videretur autem ab hac sententia recedere & illam distinctionem reiicere Berlichus *cit. l. n. 6.* qui utroque casu cessare debere iuramentum asserit, sed sine ratione; quin potius mox sibi ipsi contradicit, dum limitationes quasdam adiicit, vbi in causa criminaliter intentata admittit hoc iuramentum, & quidem (1.) si in causa criminali veniat imponenda pena pecuniaria (2.) quod non simpliciter absoluendus reus sed ei iuramentum purgatoriū, deferendum (3.) quando plus quam semiplene probatus est, vel alia presumptio militet pro actore v. g. si duos testes produxit, quorum unus est exceptione omni maior, alter non, sed suspectus. Verum si accuratius haec considerentur, statim apparet, primam & tertiam limitationem fundamento destitui, secundam vero huc non quadrare. Cum enim nullam, vel legem, vel rationem, alleget Berlichus, ipsi adhuc generalis iuris dispositio obstat, supra ex *l. fin. C. de probat.* adducta. Deinceps, si ex sententia eius in causis crimi-

criminalibus ciuiliter intentatis locus non est huic iuramēto, cur admittit illud in criminalibus causis, quibus pœna pecuniaria statuta? annon & illo casu agitur ad pœnam pecuniariam, seu ad interesse. Secunda limitatio plane huc non facit, neque proprie est limitatio, sed tantum declaratio, quid eo casu faciendum, si suppletorium locum non habet; vbi per se intelligitur, non propterea reum absoluendum, sed ei purgatorium iuramentum deferendum esse, ast hoc non tantum in criminalibus, sed omnibus aliis casibus obtinet. Tertia denique limitatio pariter est contra generalitatem *cit. l. fin. C. de prob.* Neque etiā in casu a Berlichio adducto adest probatio semiplena maior, nam quamuis duo sint testes, cum tamen vnum testis sit suspectus, eius etiam testimonium nullum est, & sic vnum tantum superest testis, qui semiplenam facit probationem.

§. XVI.

Post causas criminales sequuntur famosæ, siue in quibus quis infamia notatur; vbi pariter hoc iuramentum non admittendum, cum illæ causæ quibuslibet arduis comparentur; fama enim hominis omnium rerum pretiosissima est, & plane inæstimabilis. vid. Setser. *tr. de iuram. l. 4. c. 14. n. 5. & 6.* Sed videtur huic sententiæ obstare, quod in variis textibus iuris, in causis famosis, delatio iuramenti permittatur. Quem in finem allegare solent. *l. 6. §. 4. ff. de his quib not. infam. l. 18. C. ex quib. caus. infam. irrog. l. 9. §. 2. ff. de iure iur. cap. vlt. X. de iure iur.* Verum recte iam ad hos textus respondit Berlich. *cit. l. n. 20. seqq.* omnes textus agere de iuramento, quod reo delatum est, non de iuramento suppletorio, quod actori præstandum; illud permittit uobis fauorem defensionis: sed quod actori hoc iuramentum a iudice

Causæ famosæ in genere,

14 DISSERTATIO DE CAVSIS IVRAMENTVM

deferri poscit, ut hoc iuramento alter fiat infamis, hoc est, quod non modo nullo textu probari potest, sed & ipsi naturali rationi est contrarium; dum alterius fama a iuramento alterius dependere non debet.

§. XVII.

In specie
causa doli

Simoniae.
Syndicatus

banni
vsurariae
penalis

denunciati-
onis euan-
gelicae

Iam ex his generalibus causis facile de specialibus iudicari potest, recensemus autem eas, quae a Dd. in specie adduci solent. Scilicet in probatione doli Berlich. c. I. n. 51. Seraphin. cit. priu. 33. n. 97. in crimen simoniae Berlich. n. 49. syndicatus n. 80. Seraph. n. 27. in probanda exceptione excommunicacionis seu banni Cap. I. §. *siquis de except. in 6.* Berl. n. 34. Seraph. n. 180. in causa usuraria, quia & hic agitur de iactura famae Berl. n. 35. in penalibus Berl. n. 40. Seraphin. n. 101. Vbi tamen in hoc censuram meretur Berlichius, quod hoc etiam ad penam conuentionalem extendat, cum tamen causa illa civilis non criminalis sit, nec infamiam inurat, & ita ratio etiam cesseat, quod scilicet requirantur probationes luce meridiana clariores, vnde recte hic contrarium statuit Seraph. cit. I. n. 110. Denique ad causas has referri etiam possunt illae, in quibus locus est denunciationi euangelicæ, vbi rectissime reiicitur suppletorium. Est autem denunciatio euangelica remedium extraordinarium, illi competens, qui forte ob defectum probationis, quamvis alias causam iustam haberit, succubuit; hic, si postea probationes meliores inuenierit, sententiam, quae in rem iudicatam transiit, denuo impugnare non potest; hinc ipsi concedunt ius, hoc denunciandi ecclesiæ seu ministerio sacro, ut quia alter in continuato degit peccato, antequam, quod reuera contra conscientiam lucratus est, restitutus, ad sacra non admittatur, vsque dum illud restituerit vid.

vid. Dn. de Lehna tr. de Sc. Maced. Sect. 4. aph. 4. n. 6. Schilt Exercit. I. th. 17. DN. Præses. in Diff. de Remedii contra rem iudicatam cap. 4. n. 78. seqq. vbi plenissime hanc rem exponit. Hic vtique euidentissima requiritur probatio, cum semper pro eo sit præsumptio, qui sententiam iudicis pro se habet : & ita non potest denuncians, si semiplene tantum probauerit, admitti adiuramentum suppletorium.

§. XIX.

Inter arduas causas, quæ & criminalibus compari solent, referri quoque debent cause matrimoniales, cum maxima vitæ huius felicitas vel infelicitas ex matrimonio, vel bene vel male contracto, dependeat. Inde & in his probationes luce meridiana clariores, vt in criminalibus requiruntur. Gail. I. 2. obf. 94. n. 1. 2. Itaque nec iuramentum suppletorium admittunt Dd. vnamiter Berlich. n. 14. Seraphin. n. 13. seqq. Setserus c. 14. n. 10. seqq. Carpzouius iurispr. Forens. P. I. consl. 22. def. 3. n. 3. & consl. 23. d. 10. n. 11. 12. Heig. P. I. qu. 16. n. 26. seqq. Mascardus Concluſ. 1033. n. 1. Verum si rem accuratius perpendimus, re ipsa hoc tantum obtainere volunt, in casu, si iuramentum tendat ad impediendum aut dissoluendum matrimonium, alias, si agatur ad matrimonium promouendum & conseruandum, admittendum esse suppletorium vid. Sets. cit. I. n. 12. Seraphin. c. I. n. 13. seqq. ibi: quod tamen procedit, quando iuramentum petetur ad infirmandum seu dirimendum matrimonium; secus si pro matrimonio & ad illius fauorem iurandum esset, quia tunc iuramentum eiusmodi deferretur. Vbi n. 115. subiicit, contra matrimonium testes omni exceptione maiores requiri, sed pro matrimonio etiam inidoneos admitti: & tamen hoc ipso sibi contradicunt doctores; cum enim

idem

16 DISSERTATIO DE CAVSIS IVRAMENTVM

ideo hoc iuramentum non admittant in matrimoniali-
bus, quia est causa grauis ardua, quæ & criminali com-
paratur, vti Seraphinus & Setserus expresse c. l. afferunt,
imo, vti Carpzouius c. l. dissertis verbis loquitur, *ne reus
nolens volens, si actor iurauerit, in matrimonium detrudatur,
contra libertatem matrimonii; iam quæso, qua potest ratione
dici, illud tantum obtinere, si iuramentum tendat con-
tra matrimonium, non si pro matrimonio; cum maius
damnum alicui inferatur, si quis ob iuramentum cuius-
dam feminæ illam ducere cogatur, quam si ob suum iu-
ramentum absoluatur; illo casu res nunquam in prio-
rem statum restituï potest, hoc casu res vbique manet
integra.* Imo Carpzouius expresse de hoc casu loqui-
tur, vti ex ratione adducta apparet. Sed tota ratio
doctorum est fauor matrimonii: quasi omni modo tan-
tum promouendum esset matrimonium; cum tamen
sit negotium tam periculosum, vt potius retrahendi es-
sent homines, ne cœco impetu in illud ruant, quam com-
pellendi. Imo si verum fateri fas est, originem traxit
hæc sententia a Pontificiis, qui matrimonium pro sa-
cramento habent, & ita pro re summo fauore digna &
promouenda omni modo. Inde etiam non permittunt
delationem iuramenti, quæ tendit ad impedientium
matrimonium. Verum cum hac de controuersia ex
professo egerit DN. Praeses in speciali dissertatione *de de-
latione iuramenti in matrimonialibus*, quæ inserta est tra-
statui *de iuramentis Meletem. IV.* hic actum agere nolo, sed
eo lectorem remitto. Id tantum adiiciens, quod hic
non de iuramento contra matrimonium iam consum-
matum, sed de eo, quod est contra matrimonium
ad huc in eundum, quæstio sit.

§. XIX.

§. XIX.

Cum vero ad hanc classem etiam retulerim §. XIII. Causæ seu
causas, quæ in præiudicium alterius tendunt, eo etiam
pertinent causæ feudales in quibus pariter non admittunt
suppletorium Berlich. n. 30. Seraph. n. 125. quod eatenus
admitto, si quis vasallum se esse profiteatur, vbi illud
plene probare oportet, per litteras inuestituræ, nec fa-
cile ipsius iuramento credendum, licet semiplene pro-
bauerit; alias si inter vasallos lis sit, de his vel illis iu-
ribus, non dubito hic etiam huic iuramento, vt in aliis
causis ciuilibus, locum esse.

§. XX.

Eadem ratio est in quæstionibus de statu per- Causæ statu.
sonæ, an quis sit filius, vel legitime natus, vel legitimatus, tuis.
obtinet, cum illæ causæ magnum præiudicium alte-
rius concernant Berl. n. 27. vbi tamen miror, quod
Berlichius postea n. 77. sequ. contrarium statuat, in
probanda consanguinitate, cum eadem ratio sit libero-
rum & consanguineorum; nam quod Berlichius n. 97.
putat, tantum ratione liberorum hoc esse quæstionem
status, non ratione consanguinorum, in eo insigniter
fallitur, nam etiam quæstio de iure agnationis & cog-
nationis de statu est. Multo minus verum est, quod
dicit, consanguineos melius scire, se esse alicuius agna-
tos vel cognatos, quam descendentes, hoc enim contra
omnem sensum naturalem est, cum facilius circa
cognitionem error contingere possit, quam circa li-
beros, qui a parentibus educati sunt, & sic eorum
optimam habent notitiam.

C

§. XXI.

§. XXI.

^{In probati-}
onc ingratia-
gudinis.

Pertinet quoque huc si agatur de probatione in-
gratitudinis exhereditati Berlich. n. 35. Notum enim
est, quod, si filius a patre fuerit exheredatus ex iusta
causa & secundum formam in *Nou.* 115. c. 3. præscri-
ptam, tum heres scriptus probare debeat, filium eam
ingratitudinis causam commisisse. Ad hoc itaque
sine dubio plena probatio requiritur, cum si heres
scriptus ad hoc iuramentum admitteretur, hoc tan-
tum esset iuramentum de credulitate. Seraph. cit. l.
n. 86. Müllerus ad *Str. Ex. 17. th. 43. lit. A.*

§. XXII.

^{In probanda}
^{præscripti-}
^{one,}

Referri quoque huc meretur, si agatur de pro-
banda præscriptione triginta annorum, tum enim
iuramentum hoc vel ideo non admittitur, quod hæc
materia sit valde odiosa, & non præsumatur præscri-
ptio, nisi expresse probetur tempus illud præterlapsum
esse. Carpzou. P. I. *Conf. 13. def. 10. n. 4.* Beust. ad *L. 31.*
ff. de iurei. n. 305. Seraphin. n. 137. seqq. vbi quidem n.
140. seqq. videtur ab ea sententia recedere, quia præ-
scriptio iuris naturalis ratione nititur, sed responde-
tur, hoc verum esse, si eam factam esse legitime fuerit
probatum.

§. XXIII.

^{vbi agitur}
^{de maxima}
^{parte bono.}
^{tum;}

Porro referuntur ad hanc classem omnes illi ca-
sus, ex quibus maximum in alterum redundant præiu-
dicium v. g. qui maximam partem honorum, vel
om-

omnia bona alicuius concernunt Seraphin. *c. l. n. 124.*
 Cuius ratio hæc est, quod in causis tanti momenti,
 magna sit contra jurantem præsumtio, quod peiera-
 turus sit; Est enim tam corrupta hominum natura,
 vt magis ad præsens lucrum respiciat, quam ad id
 quod licitum iustumque est.

§. XXIV.

An autem eo referendus casus, qui interesse pro-
 prium ipsius iurantis concernit, & quidem magni mo-
 menti, non conueniunt Doctores. Seraphin. *cit. l. n. 161.*
seqq. affirmat quæstionem, quod scilicet tales non ad-
 mittendi sint ad hoc iuramentum: idque ex ratio-
 ne, quod actor iuramento suppletorio debeat semi-
 plenam probationem facere, quod tamen de eo dici
 non potest, cum eius testimonium in causa, qua ipsius
 interest, non sit omni exceptione maius: Contra ve-
 ro Berlich. *n. 60.* & *61.* illam sententiam reiicit, & ad-
 mittit eos ad iuramentum, sed rationes non adiicit,
 verum refert se in specie ad Matthiam Colerum in
 process. *executivo P. I. cap. 10. n. 139.* & *seqq.* qui priorem
 sententiam admittit, si ab utroque parte semiplene
 probatum, suam vero sententiam restringit ad casum,
 si actor solus semiplene probauit, reus vero nihil pro-
 bauit, vel etiam si actor plus quam semiplene probauet.
 Nos hoc ultimo casu concedimus, admittendum
 esse auctorem, non autem illo casu, etiamsi reus ni-
 hil probauerit, quia semper adest præsumtio periurii,
 cum homines proprii commodi causa facile conscienciam
 suam negligere soleant Struu, *Ex XVII. lib. XLIII.*

*Aut præ-
prium in-
teresse.*

20 DISSERTATIO DE CAVSIS IVRAMENTVM

nisi aliæ circumstantiæ diuersum suadeant. Sane in casu, si vterque semiplene probauerit, dubium nullum est, reo potius hoc iuramentum, quam actori defendum esse, cum iura procluiora sint ad liberandum quam ad obligandum arg. l. 47. ff. de obl. & act.

§. XXV.

Aut ob læsionem e-normalissimam.

Tandem & ille casus ad hanc classem referendus, si quis contractum aut transactionem ex l. 2. C. de Rescind. Vend. hoc est, ob læsionem enormissimam, impugnet, vbi actor ad iuramentum hoc non admittitur, sed oportet ut læsionem plene & perspicue probet. Berlich. n. 92. Hillig. ad Donell. l. 24. c. 16. lit. γ. cuius ratio haud dubie est, quod contractus & transactiones, non facile rescindi debeant, & hoc sensu strieti iuris esse dicantur. Ut adeo semper in dubio pro contractu pronunciandum sit, nisi alter enormissimam læsionem aperte doceat.

§. XXVI.

III. Quando præsumtio est contra iurantem.

Sequitur nunc tertia classis causarum, vbi iuramento suppletorio locus non est, quando scilicet contra eum, qui semiplene probauit, militat præsumtio iuris Berlich. cit. l. n. 50. Hæc enim tantæ est efficaciam, vt tamdiuis, pro quo præsumtio est, securus sit & libera probando, vsque dum alter contrarium liquido probauerit l. 5. ff. de probat. Carpz. l. 5. Resp. 71. n. 10. Mascard. de probat, concl. 518. n. 3.

§. XXVII.

§. XXVII.

Sunt autem casus speciales , qui ad hanc regulam pertinent, sequentes. Veluti si agatur de rescindenda sententia & re iudicata Berlich. d. l. n. 38. Seraph. n. 79. Nam & hic, qui sententiam pro se habet, pro eo etiam militat præsumtio iuris, itaque si hæc infringenda, plena probatione opus est , L fin. C. ex fals. in- firum. Quod sine dubio intelligendum de casu, quo adhuc contra sententiam probatio admittitur.

§. XXIX.

Ex eadem ratione eo pertinet , si verbi gratia , contra scri-
vel scripta commissariorum aut iudiciis, vel protocollo
la eorum impugnantur, & pars altera rem aliter ge-
ftam esse, atque scripta est, probare velit, ad quod si-
ne dubio admittitur, si hoc testibus plene probare
possit, sed si tantum semiplene probauerit, ad iura-
mentum suppletorium admitti non debet Berlich. c. l.
n. 93. Cum pro iudice semper sit præsumtio, & pro a-
ctis judicialibus Cap. 13. X. de Prescript. ibique com-
mentatores.

§. XXIX.

Reste etiam a plerisque huc refertur, si quis ali-
quid afferat, contra consuetudinem & communem
obseruantiam, & contra stylum curiæ, & contra ea, quæ
communiter accidere soleant, quod tum illud plene
probare debeat, nec ad hoc iuramentum admittatur

C3

Ber-

contra con-
suetudinem
communem

22 DISSERTATIO DE CAVSIS IVRAMENTVM

Berlich. n. 83. pluresque ab eo citati , vbi quidem n. 84. dissentientem citat Andream de Ifernisi , verum cum nulla dissensus adiecta ratio sit , facile constat , nullius momenti hanc sententiam esse . Nam si aliquid contra communem consuetudinem introductum , hoc ipso facto monstrandum , non alterius iuramento committendum est . Vnde & in probanda consuetudine & notorio non admittitur iuramentum hoc Berlich n. 81. 82. Seraphin. n. 27. Mascard. *Conclus. 423. n. 22. seqq. Mynsing. 16. obs. 81.*

& in pro-
banda con-
suetudine &
notorio.

§. XXX.

in probanti-
do errore
instrumenti

Porro huc refertur , si quis Notarium erroris ar-
guat in instrumento commissi , & tantum semiplene id
probauerit ; tum enim cessat hoc iuramentum Ber-
lich. n. 52. Seraph. n. 17. seqq. Strauch. *de iuram. supplet. c.*
3. §. 9. cuius ratio itidem est , quod pro omni instrumen-
to militet præsumtio veritatis & solennitatis . §. II. §. 16.
Inst. de inutil. slip. ibique Dd.

§. XXXI.

Si debitor
posideat
Chyrogry.

Illum etiam casum , si instrumentum crediti re-
periatur penes debitorem , quamuis ille suspectus non
sit , quod furto chyrogramphum subtraxerit , huc refe-
runt , & nec hunc ad suppletorium , admittunt Docto-
tores Berlichius n. 53. Quam tamen sententiam , nul-
la solida ratione nisi existimo , si agatur de persona non
suspecta , tum enim pro eo est præsumtio , quod debi-
tum soluerit , & chyrogramphum receperit ; adeoque si
non aliæ concurrant circumstantiae vtique ad iura-
men-



mentum hoc admittendus. Vti nec in illo casu puto vel creditor
cessare debere suppletorium: si creditor chyrogra- id lacer-
phum ex iracundia lacerauerit, quo casu vult Berli- uerit,
chius n. 36. eum quidem non admittere ius crediti, du-
riori tamen probatione eum grauari & creditum ma-
nifestissimis probationibus docere debere, ac ita non
admittendum esse ad suppletorium. Quanquam e-
nim alleget I. I. C. de fide instrum.: attamen ibi de speciali
casu agitur, si instrumentum plane amissum, aliud ergo
si tantum laceratum, & tamen adhuc extet: quia & hic
ex litteris adhuc de veritate crediti constare potest.

§. XXXII.

Tandem etiam hoc referunt casum, si iuramen-
tum suppletorium sit contra aliud iuramentum. Se-
raph. n. 79. nec enim permittendum est iuramentum
contra iuramentum. Item si causa decidenda ex ri-
gore juris & non secundum aquitatem Seraph. n. 2. 3.
Idem in casu, si ob defectum iustitiae iudicis secularis
recurratur ad ecclesiam, tunc enim coram episcopo
hoc deferri non posse. Berlich. n. 62. Seraphin. c. I.
n. 88. *seqq.* tum enim quia vtique contra tales est
præsumtio, plenissimam exigunt probationem.

Si sit contra
aliud iura-
mentum.

contra æqui-
tatem.

coram iudi-
cio sacro.

§. XXXIII.

Vltimo adhuc referendum est ad hanc classem, si non sit ve-
quod huic iuramento locus non sit, si id, quod iura-
mento probandum est, non sit verosimile. Seraph. n. 56.
d. I. n. 56. Berlich. n. 73, qui hoc ita declarat, si v. g.
testis unus deponat de eo quod plane insolitum, &
con-

rofumile
quod iura-
mentum.

24 DISSERTATIO DE CAVIS IVRAMENTVM

contra naturam actus est. Tum enim insurgit contra ipsum mala quadam præsumtio, quæ facit, vt ad iuramentum hoc non admittatur.

§. XXXIV.

IV. Ob spe-
cialiem legis
dispositio-
nem.

Hactenus tres classes casuum, in quibus iuramentum suppletorium non admittitur, vidimus, & quidem vel ex qualitate personæ iurantis, vel quod causæ quædam sint arduæ & magnum alterius præiudicium concernant, vel quod contra iurantem si præsumtio; Sequitur itaque nunc quarta classis earum causarum, in quibus ex speciali legis dispositione non admittitur hoc iuramentum. Excludit autem lex suppletorium quatuor modis (1.) quando certam exigit personæ qualitatem (2.) quando certam formam & solennitatem (3.) quando instrumentum aut scripturam & (4.) quando perfectam & plenissimam probationem requirit.

§. XXXV.

vbi lex re-
quirit cer-
tam perso-
ne qualita-
tem.

Ipsa itaque legis dispositione excluditur hoc iuramentum, vbi certa personæ qualitas requiritur. Huc pertinet, si procurator dicat, se habere mandatum, tum enim id plene constare debet, nec eius iuramento suppletorio creditur. Berlich. n. 44. idem in probando mandato ad solutionem recipiendam, vt et si quis procurator in rem suam sit, aut iudici alicui executio mandata Berl. d. l. n. 45. 46. 47. Wurmser. l. I. tet. O. 12. n. 5. Mascard. Vol. 2. Conf. 974. n. 4. Item fi

si cessionarius cessionem probare debeat Ant. Faber.
Cod. l. i. t. 29. d. 13. Coler de Proc. Exec. P. 2. c. 2. n. 78.
 & in genere, vbi de legitimatione personæ agitur.
Wurmser. l. i. tit. 14. t. 12. n. 5. Mascard. Vol. 2. Conf.
974. n. 4. Quibus & similibus casibus vtique de
 mandato expresse constare debet, & sic non potest
 admitti suppletorium.

§. XXXVI.

Tunc etiam cessat hoc iuramentum, quando in certam so-
 aliquo actu certus numerus testium pro forma & so-
 lennitatem requiritur, vt in testamentis, codicillis,
 donatione mortis causa Berlich. n. 54. Cuius ratio
 manifesta est, quod hic testes non probationis sed so-
 lennitatis causa adhibeantur. Sed quod Berlichius
 hoc etiam ad eum casum extendat, si heres illam so-
 lennitatem, quod testes fuerint rogati, semiplene pro-
 bauerit, atque nec tum iuramentum hoc admittat,
 illud puto a ratione alienum esse, si quidem hic non
 certus numerus testium requiritur, sed tantum, vt
 rogationem factam esse probetur; vt vero in aliis pro-
 bationibus admittitur hoc iuramentum regulariter,
 cur non & hic? cum insuper heres ex testamento habeat
 pro se præsumptionem, quod legitime fuerit confe-
 stum: vt sic sine dubio ad hoc iuramentum admitti
 debeat.

§. XXXVII.

Porro & tum cessat suppletorium iuramentum, quando lex in specie requirit scripturam vel instru-
 men-
 D Scripturam
instrumen-
tum.

26 DISSERTATIO DE CAVIS IVRAMENTVM

mentum, tum enim probatio præcise per scripturam fieri debet. Berlich. n. 56. Exemplum ex hodiernis moribus dari posset, si quis ex cambio, vel alio quodam documento guarentigiat, aliquem conueniat, & is exceptionem solutionis uno teste probare vellet, & suo iuramento suppletorio, quod utique non admitteretur. Et hoc pertinet, quod Berlichius n. 89, tanquam separatam causam adducit, si statuto vel consuetudine inductum sit, ut solutio non posit probari nisi per instrumentum: cum tamen, haec duæ species omnino non sint diuersæ.

§. XXXIX.

plenam probationem. Tandem & ibi non admittitur suppletorium, quando leges exigunt plenam & apertissimam probationem, ut in l. fin. C. de probat. l. vlt. C. ex falsis instrum: Berlich. n. 31. Sets. de iuram: l. 4. c. 14. n. 15. Tum enim sine dubio non admitti potest iuramentum hoc, ut pote quod tantum locum habet, si semiplene probatum. Mascard, de probat. Concl. 956. n. 44.

§. XXXIX.

exemplum in casu apellationis. Referunt etiam huc casum, si quis interposuit apellationem, quam intra annum prosequi debebat, & postea impeditus fuit, quod impedimentum inter biennium probandum Auth. Ei qui C. de temporib. appellat: an talis appellans, si impedimentum uno teste probauerit, ad iuramentum suppletorium admittendus sit, quod iterum negatur Berl. n. 32. Seraphin. n. 221. Quamuis plures contrarium sentientes adducat Sette.

SUPPLERORIVM RESPVENTICVS.

27

Setserus d. c. 14. n. 16. qui tamen n. 17. recte pro sententia negatiua decidit , idque per expressum textum in l. vlt. §. 4. C. de tempor. appellat. vbi expresse dicitur euidentissimas probationes requiri. Strauch. de Iuram suppletorio c. 3. §. 8.

§. XL.

Eodem pertinet causa compensationis, in qua pa- in compensa-
riter non admittitur iuramentum hoc Berlich. cit. l. fatione.
n. 33. Cuius ratio itidem manifesta est, quod in com-
pensationem non veniat, nisi debitum liquidum l. vult.
Cod. de compensat: iam vero hoc debitum, quod non
plene probatum, sed vbi probatio demum per iura-
mentum supplenda, non potest pro liquido haberi ;
ideoque ad compensationem non admittitur ; Sed o-
portet, ut separato iudicio hoc petatur,

§. XLI.

Hi sunt præcipui casus , quibus cessat iuramen- Generalis li-
tum suppletorium , quodsi plures adhuc inueniantur , mitatio,
facile ad hæc generalia capita reduci possunt. Illud
tantum pro generali limitatione obseruandum , quod
in plerisque his causis limitatio hæc obseruanda sit ,
nisi plus quam semiplene probatum fuerit , vel aliae
concurrent præsumptiones, pro eo , qui iurare deberet ,
militantes , tum enim vtique locus esse iuramento
potest Berlich. cit. l. n. 97. Dixi in plerisque nam in
omnibus id non procedit , ut v. g. in criminalibus ,
vbi agitur ad penam , & causis famosis &c : Itaque
iudicis prudentis arbitrio multum hic relinquendum

D2

est

28 DISSERT. DE CAVS. IVRAM. SUPPLET. RESPVENT.

est qui in casibus illis , vbi dubium est , an hoc iuramentum deferendum sit , an secus , potius reo iuramentum purgatorium deferre debet .

§. XLII.

Conclusio.

Hæc sunt , beneuole lector , quæ loco speciminiis inauguralis , de hac materia in iudicijis visitatissima , conscribere volui . Accipe illa serena fronte , & quamvis nihil noui tibi adferre potui , saltim non inutile erit , quæ confusissime a Doctoribus tradita , in ordinem redegitse . Deo vero optimo maximo , pro concessâ mihi hucusque diuina gratia sua , non desinam laudes persoluere sempiternas .

S. D. G.



*** *** ***

LAtent acutis Aonidum rosæ
Rubis, & atrox Hesperidum Draco
Horti tuetur poma, Perseus
Gorgona non sine cæde vincit.
Actisque nostrum laurea Pallados
Caput coronant serta laboribus.
Vertex Olympi celsa tangit
Sidera, & axe caput recondit.
Sic est, serenæ lux Sapientiæ
Nigris laborum nubibus emicat
Sudore Mars iunxit triumphos,
Laura nec sine clade surgit.
Hinc persecutus, Candide, maximos
Musarum honores, hinc capitolium
Post bella post partos triumphos
Pallados inueheris serenæ.
Sis faustus, opto, gratulor & bona
Vehant quod vigis sæcula Te aureis,
Felicitatis stella surget,
Teque caputque Tuum coronet!

Ita

Clarissimo Dno Candidato

ob

feliciter exantata studia applaudere
voluit

PRAESES.

) (

Hoch:

Schwerther/nimm diß Blat von Deines Freund
des Händen/
Der sich bey Deinem Glück sucht etwas zu
erfreun /

In dem die Themis Dir will ihren Schmuck zuwenden
Da Deiner Scheitel Sie flieht Ehren Lorbern ein.
Sie weiß/dass Du es hast durch Deinen Kleiß verdienet/
Dass Deine Tugend ist dergleichen Schimmer werth
Das Ephen deines Ruhms/ so ist in Köln noch grünet/
Wird weder durch die Zeit/ noch durch den Sturm ver-
zehrt.

Haline , welche Gold in ihren Wellen führet /
Das uns kein Tajuß schenkt/kein Ormus geben kan/
Hat Dich mit ihrem Schatz gelabet und geziert/
Die weil Dein muntrer Geist die Weisheit lieb gewann.
Du darfst das guldne Fließ nicht erst von Colchis hohlen/
Dir Jason wirds geschenkt auf diesen Saal-Athen/
Es ist kein falsches Gold/nicht flüchtge Merz- Biolen /
Der Ehren-Lorber grünt/wenn alles muß vergehn.
Darum ergöze dich bey wohl verdienten Ehren/
Die sind der Honigseim/der Deine Müh versüßt;
Du wirst ins künftige von lauter Glücke hören/
Wann Themis guldner Satz aus seinem Munde fließt.
Hierzu seß ich den Wunsch: Die Ehre bringe Ehren/
Dein weises Capital dir reiche Zinsen ein;
Doch daß man auch dabey kan diese Zeitung hören :
Dass Cypriss dir so lieb kan als die Themis seyn.

Dieses schrieb seinen Herrn Vetter Glück-wünschend

J. THEOD. GRÜN / LL. C.

EN tua nunc large se produnt præmiæ messe
Dum tibi Musarum, parta corona datur
Divite Te vena Musis sacrata caterva
Donavit, quid sit fasque nefas docuit
Non Te destituunt præclaræ Palladis artes
Queis potest incolumes ferre, referre pedes
Nam tibi præ solido sapientia lector auro
Indue me quâ nil, pulchrius orbis habet
Cullores hæc illa suos dulcedine perflat
Suffunditque illos Nectare mellifluo
Instruëti ratione simus tamen illa fatiscit
Si non tam magno sit comitata duce,
Deficit ast numerus nec par enim dicere plura
Pluraque qui noscet TE legat ipse velim
Non me sublimi TE vertice carmina possunt
Ponere, nec meritis scribere digna tuis
Postremo valeas patriæ decus atque tuorum
Vive dui & annis utere Nestoreis

Hæc paucula adjicere & amorem levidens specimine
adumbrare voluit

CASPAR HARBORT;
Westphalus. Med. & phil. St.

POstquam Te Becki magnum monstrasse laborum
Ardorem dicunt Hala atque Colonia magna,
Hinc Themis alma TIBI summos decreuit honores
Quæ cupis ecce capis Themidos sublimes honores,
Quos TVA promeruit dudum solertia rara.
Prosit adeptus honor , sis felix undique coeptis ,
Donec in æterna Cœlorum sede vibrabis.

Gratulabundus apposuit

FRID. RVDIG. Gummersbach/
Westphalus. SS. Theol. Stud.



Halle, Diss., 1710 S

ULB Halle
003 768 961

3



TA 06

Mus. Stk. 13^o



B.I.G.

Black



Farbkarte #13

Centimetres

Blue

Cyan

Yellow

Magenta

Red

White

3/Color

DISPV TATIO IVRIDICA IN AVGVR ALIS
DE
CAVSIS
IVRAMENTVM
SVPPL ETORIVM
RESPVENTIBVS,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO
PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORVSSIAE MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, ET DVCATVS MAGDEBURGICI GV-
BERNATORE, RELIQVA,
IN ILLVSTRI FRIDERICIANA
PRAESIDE
DN. IO. SAMVELE STRYKIO, IC.
SEREN. VIDVAE SAXO-ISENACENS. CONSILIAR. AVLICO
PROF. IVR. PUBL. ET COLLEG. IVR. h. t. DECANO,
PRO LICENTIA,
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES CONSEQVENDI
In auditorio maiori
D. IV. IVN. A. R. S. M DCC X.
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS
Placide eruditorum disquisitioni
submittit
FRIDERICVS ARNOLDVS BECK,
Lipstad. Westphalus.
HALÆ MAGDEBURGICÆ, TYPIS IOH. MONTAGII, ACAD. TYPOGR.